



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Fvlvii Androtii, Societatis Iesv, Piæ meditationes de
Passione & Morte D. N. Iesv Christi**

Androzzi, Fulvio

Coloniæ Agrippinæ, Anno MDCIII

Mysterium nonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48634)

O R A T I O.

Domine Iesu Christe, dum perpen-
do, quanta animi promptitudine
contumeliosam illam crucem hu-
meris tuis propter me imposuisti, & gra-
uissimis doloribus corpus tuum excru-
ciasti, confundor prorsus, & plurimum
erubesco, cum videam me amore tui vix
perferre posse morsum vnius pulicis.

Vincat ergo pietas tuamiseriam meam,
& gratiam mihi dona, vt in posterum
ambiam multa pro te pati, & vt hæc sit
gloria mea, ac dicere possim cum Apo-
stolo: *Ab sit mihi gloriari nisi in cruce Do-
mini nostri Iesu Christi, per quem mihi
mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Mysterium nonum.

CRudele genus mortis, nempe in
Cruce. Nec enim tam citò mortu-
us est, ac alij, qui capite, suspen-
dio, vel alijs modis mulctantur. Vulnera
quoque pondere corporis longè amplio-
ra facta sunt in cruce. Ad hæc vulnera il-
la erant in membris maximè sensibili-
bus, vt in manibus & pedibus, qui abun-
dant venis & neruis. Vnde cum nullum
le-

lethale vulnus haberet, sola vi acerbissimorum dolorum sanctissimā animam Deo reddidit. Quare & Pilatus valdè miratus est, cū intellexisset eum tam citò mortuum, vt est in Euangelio. Considera benè quatuor puncta supradicta, nempe à quibus, quid, quare & pro quibus hæc passus sit.

Puncta consideranda.

1. Dolores quos in cruce sensit omniū quos sentire potuit maximi
2. Ignominia extrema, cū videret se pendere nudum in medio latronum, in loco infami, in præsentia tot hominum.
3. Quod non clauis, nec quicquā aliud, sed sola charitas erga genus humanum retinuerit eum in cruce.
4. Quod interim, dum illi tollebant ei vestes, vitam, famam, pro illis Deum orabat.
5. Quod omni consolatione destitutus, totus omninò immersus fuerit doloribus.

CONFUSIO.

Quod tam alieni simus à patiēdo pro

DE PASS. DOMINI. 69

pro Christo, qui tāta passus est pro nobis.

2. Quod non fidamus commendare vitam nostram in manus eius, qui tam alacriter vitam suam dedit pro nobis.

3. Quod simus tam cupidi opum & honorum huius mundi, quos tantopere contempsit Christus.

4. Quod tantopere timeamus mori, cum sciamus & Christum mortuum esse, qui est via & porta ad cœlum.

5. Quod amoris Christi, qui propter nos nec opum, nec honorum, nec vitæ suæ ullam rationem habuit, non aliqua ex parte respondeamus.

PETITIO.

Pete gratiam perseverandi in Cruce usq; ad mortē, & semper habendi memoriā passionis Christi crucifixi.

ORATIO.

DA mihi gratiam clemētissime Domine, ut ex animo desiderem pro tuo amore usq; ad mortem perstare in cruce, quam mihi concesseris, ut in ea reddam spiritum meum, ac ut semper cordi insculptum habeam crucifixum, per sanguinem, quem in cruce sparsisti,
per

per dolores, quos sensisti, & per amorem qui te ad hoc induxit; & dum sum particeps tuarum poenarum, fiam quoque particeps æternorum gaudiorum. Amen.

Mysterium decimum.

Quod in medijs existens crucis doloris, ut antoperè fuerit irrisus & contemptus, nunc dicendo: *Si filius Dei est, descendat de cruce*, nunc exprobrando, quod saluasset alios, & non posset saluare semetipsum, nunc clamando: *Ut tribus diebus ædificaret templum.*

Considera hic quatuor puncta, à quibus, quid, pro quibus, & quare sit passus, ut supra.

Puncta consideranda.

1. Considera Christum habitum infamem, passum mortem infamem, in loco infami, à personis infamibus, & verbis infamibus.
2. Patientiam, humilitatem, amorem, contemptum mundi.
3. Charitatem in orando patrem pro crucifixoribus, ut non solum non præcipita-